



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De episcopis qui sedes suas negligunt, & in possessionibus suis longè  
positis diu morantur. lxxxii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Ex decre. Calist. pæ episcopi per Gallia cõstitutis missis. cap. 15.* **S**I quis episcopus fuerit persecutus in sua Ecclesia, fugiendum illi est ad alteram, ei que sociandum, dicente domino: Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã. Si autem vtilitatis causa fuerit mutandum, non per se hoc agat, sed fratribus inuitantibus, & auctoritate huius sanctæ sedis faciat, non ambitus causa, sed vtilitatis.

*De episcopo qui principalem cathedram suæ Ecclesiæ negligit. Cap. LXXXI.*

*Ex cõcil. Rotoma. cap. 16.* **V**T non liceat episcopo principalem cathedram suæ parochiæ negligere, & aliam Ecclesiam in sua diocesi magis frequentare.

*De episcopis qui sedes suas negligunt, & in possessionibus suis longe positis diu morantur. Cap. LXXXII.*

*Ex cõcil. Sardicēsi. cap. 15.* **O**Sius episcopus dixit: Quia nihil prætermitti oportet, sunt quidam fratres & cõepiscopi nostri, qui nõ in ea ciuitate resident, in qua videntur episcopi esse cõstituti, vel certè paruam rem illic habeant: alibi autem idonea prædia habere noscuntur, vel affectionem proximorum quibus indulgeant. Hactenus permitti eis oportet, vt accedant ad possessiones suas, & disponant vel ordinent fructum laboris sui, vt post quatuor dies dominicos, id est, post tres hebdomadas, si morari necesse est, in suis potius fundis morentur, aut si est proxima ciuitas in qua est presbyter, ne sine Ecclesia videantur facere diem dominicum, illuc accedant, vt neque res domesticæ per absentiam eorum detrimentum sustineant, & non frequenter veniendo ad ciuitatem in qua episcopus moratur suspicionem iactantiæ & ambitionis euadant. Vniuersi dixerunt placere sibi.

*Vt episcopus singulis annis parochiam suam circumeat. Cap. LXXXIII.*

*Ex cõcil. Spalēsi. cap. 4.* **V**T singulis annis vnusquisque episcopus parochiam suam circumeat, populumque confirmet ac doceat, & ea quæ vitanda sunt prohibeat, & ea quæ agenda sunt, vtiliter agere suadeat.

*De episcopis qui raro aut nunquam per seipso plebes sibi commissas visitant. LXXXIIII.*

*Ex cõcil. Meldēsi. cap. 5.* **V**T episcopi qui plebes sibi creditas, aut raro, aut nõquam per seipso visitant iuxta ordinem euangeli-